Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2623

Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 166. p. 2. Rurſus incipiunt Adverſaria theologica de Communione duplicis Speciei, de Poteſtate Papae, de negotio Compactatorum, et aliis Articulis eo tempore controverſis, ubi indefeſſam in vetuſtis Autoribus excutiendis induſtriam Bohemorum mireris.

IX. *fol.* 203. *De Eccleſia manuale Magiſtri Henrici Tokke.* Fuit hic Vir Canonicus *Magdeburg.* in utraque Legatione *Baſileenſium* ad *Bohemos* annis videlicet 1432. et 33. Quaedam ejus relata ſunt alibi, ut *Index* oſtendit. Quartum hic ejus Opuſculum pro Eminentia Eccleſiae ſeu Conciliorum generalium ſuper Rom. Pontificem pugnat. Initium eſt: *In nomine domini noſtri ihesu chriſti. Animaduertant omnes chriſti fideles preſertim prelati ſpirituales et ſeculares, Reges ac principes lamentabilem eccleſie lapſum, ſordidum filiorum eius in peccatis volutabrum* &c. Non eſſe remedium aliud, quam generale Concilium; afferere tamen aliquos: *prime ſedis epiſcopum eſſe ſuper Concilium generale*, licet veritas contraria *Conſtantiae* et *Baſileae* definita ſit. Hanc ſe quoque VIII. *Capitibus* ſtabiliturum. *In primo capitulo dicta veritas oſtendetur ex ewangelio. In 2°. ex verbis et factis apoſtolorum et vniverſalium conciliorum. In 3°. ex approbacione Romanorum pontificum. In 4°. ex teſtimonio ſacrorum Canonum. In 5°. ex concordia Doctorum. In 6°. ex dictis eliciam unum Corollarium. In 7°. per rationes probabo propoſitum. In octauo ad obiecta reſpondebo.* Atque his praeſtitis Eccleſiae ſupra Papam eminentiam 10. *Propoſitionibus* includit. *Manuale* hoc ſcriptum fuiſſe poſt diſſidia *Eugenium* inter Patresque increbeſcentia, facile mihi perſuadeo.

X. *fol.* 217. Reſumuntur Adverſaria *theologica* maxime de Sacramentis et pro Communione ſub Utraque.

XI. *fol.* 293. *Incipit Tractatulus Compilatus per Magiſtrum Johannem de Rokyzano contra ſex propoſitiones friuolas ipſorum doctorum Apoſtatarum.* Initium: *Quia prima Johannis 5. ſcriptum eſt. Si teſtimonium hominum accipimus* &c. Notus eſt Congreſſus *Rokyczanae* et Sacerdotum Catholicorum *Pragae* 1465. coram Rege *Georgio* et Proceribus per dies 5. celebratus. Acta ejus inſerta ſunt ab *Henr. Caniſio* T. III. *Antiqu. Lect.* P. 2. edit. *Basnag.* T. IV. p. 753. et novis Cl. *Adaucti Voigtii* p. m. curis lucem videre *Pragae* 1775. 8. Partibus, ut ejusmodi Concertationum exitus eſſe ſolet, utrinque ſibi victoriam tribuentibus, Scriptum hoc publicavit *Rokyczana*, cujus excerpendi labore me levat laudatus *Voigtius Act. Liter. Bob. et Morav. Vol.* II. in *Vita Hilarii Litomericenſis* Archiepiſcopatus *Prag.* Adminiſtratoris, qui cum *Wenceslao Krzizanowio* in eo congreſſu Catholicos inter plurimum eminuit, et deinceps praeſenti *Rokyczanae* Scripto aliud titulo *contra Perfidiam aliquorum Bohemorum* oppoſuit, quod editum habetur